Anno 1532. 12. Mai Ex. M. S. B. Zal.

# Bona Sforcia Regina &c. Stanislao Episcopo Olomucen.

58

Rde in Christo Pater, sincere Nobis dilecte grata et accepta nobis fuit semper et est nunc etiam propensis et observantia erga Nos singularis Ptis Vestrae quam in tractandis excipiendisq omni debita honestate Nunciis et servitoribus Nostris ad ditionem suam diveutentibus plane et officiose, satis Nobis declaravit, proqua et si Nos vicissim illi gratitudinem et benevolentiam Nostram testari et declarare intendamus, facere tamen sine admiratione et asritate Animi non potuimus, id quod nuper praesente et fortasse etiam consentiente Pte Vestra, per Ordines Moraviae in Conventu Publico, Generoso Vilhelmo Kuna de Cunstat, et admissum et scilicet, contra Servitores et Nuncios Nostros, libere repraesalis uti posset, et illos per Marchionatum Moraviae commeantes impune pignorare valeat. Quae res tam et si Nobis abesse vel incommodare nihil potest, protegente Nos authoritate Serni et honorandissimi Domini Conjugis Nostri, in cujus potestate magis quam in Nostra sunt ii quos Nos vel opera vel servitiis in hoc Regno utimur, Quia tamen nonnihil ad indignitatem Nostram spectare videtur, est Nobis pla

ne

gravis et molesta praesentim cum propter ejus necessitudinis vinculum quae Nobis cum Serenissimo Domino Romanorum Ungariaeque et Bohemiae de Rege intercedit et item propter honestatem et authoritatem Serenissimi Domini Conjugis Nostri aliam conveniebat, Ordines Moraviae dignitatis Vestrae habere rationem.
Verum cum ita est illis visum ipsi viderint bene ne an male consilio et instituto illorum sit successurum habeamus Nos literas Serenissimi Domini Romanorum Regis consanguinei Nostri honorandissimi quibus expresse pignorationes et represalias Vilhelmo Cuna supra dicto contra servitores Nostros interdicuntur quae si temeritate ejus forte violaventur, non deesset tamen demum Nobis authoritas et protectio Serenissimi Domini Conjugis Nostri, in cujus potestate, tantundem vel amplius esse advertimus ut represalia adversum Moraviae incolas vicissim admittat.
Haec Nos Dilectioni Vestrae significare propterea voluimus ut illa pro veteri sua erga Nos propensione inter ordines Moraviae inter quos primum locum obtinet sua Dilectio qua ratione dignitatem Nostram tueri debeat, si forte quod non speramus praescripto et mandato Serenissimi Romanorum Regis ipse Cuna viudicus esse noluerit, cujus mandati exemplum cum praesentibus Dilectioni Vestrae mittimus et illam felicem atque salvam esse semper Optamus Cracoviae 13. Febr. 1532. Anno